nendum terreſtria & quærendum cœleſtia, ad tolerandam mundi ignomoniam & condonandas hoſtibus injurias, ad impuras ſuggeſtiones & vaniſſimas cogitationes ex imo pectoris receſſu abigendas, novâ prorſus indigeamus præparatione, hoc eſt, inhibitione ac refrenatione repugnantiæ ſimplicis ac naturalis, ne fiat affectata aut moroſa. Quid multa? Dum habitamus in carne, περιπνευματομαχίαν iſthanc, & ſcandala carnis erga ſpiritum perpetua experimur.

§. 13. Dum ſpiritus hîc promptus, caro autem infirma eſt; veluti in Diſcipulis ſomnolentis Matth. XXVI, 41. continua Spiritûs S. exuſcitatione, animatione & extimulatione, quâ per Verbum & Sacramenta defungitur, indigemus. Hæc ipſa verò, eaque ſeria, lucta carnis & ſpiritûs indicio eſt, fidem & communionem cum Chriſto in nobis eſſe ſuperſtitem. Cor eſt inveniendum ante omnia ex phraſi Davidicâ 2. Sam. VII. 27. Ejus cogitationes, appetitiones, omnesque agitationes unà cum facultatibus ſuis, quæ in mundo quaſi amiſſæ fuerant, à rebus mundanis, curisque & conſiliis terreſtribus revocare, prorſus abſtrahere, & tanquam in tuto quodam cubiculo locare convenit. Cogitationes adverſæ volitent ſuper capite; modò ne in capite nidulentur. Quod reſtat, Deo te ſubde; voluntatem tuammet abnega & frange; divinæ te ſubmitte, & huic obſequere. Ita non vinceris ab hoc internæ reſiſtentiæ ſcandalo; ſed vinces illud. Nec enim cor noſtrum cum propriâ variæque carnis reluctantiæ obnoxiâ juſtitia & munditie Deo Patri tùm oſtendendum, ſed cum juſtitiâ Filii nobis imputatâ, cum juſtificari & ſalvari cupimus. Coaduna igitur te Deo, ſummo bono, indies. Ad hoc unum neceſſarium reſpice, ut Deum timeas, & in quotidianâ renovatione vitæque emendatione perſtes. Ne defatigeris precando, quærendo, pulſando, obteſtando & obſecrando, ut mitis in cœlo Pater opus in tua infirmitate cœptum perficiat. Cor tuum hoc pacto invenies, ſi illud Cameram Omnipoten-

tis